VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV TVTRICIS, ET CVRATRICIS PERSONÆ, ET BOnorum Egregij Don Francisci Blanes, Comitis de Centellas, & aliorum, super apprehensione, in articulo litispendentiæ.

IN DEI NOMINE, AMEN. Noverint vniuersi, quod anno computato â Nativitate Domini millesimo sexcentessimo sexagesimo sexto, die vero quę computabatur decima septima, mensis Aprilis, apud Civitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Consilij Domini Iustitiæ Aragonum, interuenientibus in ea, Illustribus Dominis Doctoribus Michaele Matheo, Diez de Aux, Emanuele de Contamina, Iosepho Francisco Molês, & Augustino Estanga, Locumtenentibus ordinarijs Illustrissimi Domini Don Michaelis Marta Militis, Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitię Aragonum, absente Ilustri Domino Doctore Georgio Labalsa, etiam Locumtenente ordinario prædictæ Curię, pro suspecto dato, & declarato in processu inferius intitulato, & pro illo, præsente Dño Doctore Ioanne Antonio de Tena, Locumtenente extraordinario, coram quibus fuit positus Processus, & Causam, intitulatus *Tutricis, & Curatricis perso-*

na, *&* *bonorum Egregij Don Francisci Blanes, Comitis de Centellas*, *&* *aliorum*, *super apprehensione*, *in articulo litispendentiæ*; in quo tam dictus Dominus Doctor Emanuel de Contamina, causæ prædictæ Relator, quam cæteri Domini Locumtenentes *Concordes* fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & in bonis apprehensis in fine appellitus confrontatis mãdare fieri contẽta in propositione [A] oblata pro parte Abbatissæ, Monialium, & Conuentus Sanctæ Claræ, Ciuitatis Turoli, Ordinis, & Religionis Sancti Francisci, principalium Ignatij Pontac procuratoris, pro quantitate duarum mille quingentarum sexaginta, & nouem librarum, & octo solidorum Iaccensium, ratione viginti, & novem pensionum septem Censualium in processu exhibitorum, vna, cum pensionibus lite durante decursis, & in posterum decurrendis, cum expensis iuribus durantibus: *Quibus finitis*, contenta in propositione [B] oblata pro parte Reverendorum Decani, Canonicorum, & Capituli Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Turoli, principalium Ignatij Pontac Procuratoris, pro quantitate quatuor mille nouemcentarum sexaginta & nouem librarum & trium solidorum Iaccensium, ratione viginti, & novem pensionum sex censualium in processu exhibitorum, vna cum pensionibus lite durante decursis, & in posterum decurrendis, cum expensis iuribus suis durantibus: *Eisque finitis*, contenta in propositione [C] oblata pro parte Reverendorũ Ioannis Asin, & Laurentij Dimas Carnicer, Ca-

A
Recipitur propositio Conuentus Sanctæ Claræ Ciuitatis Turoli.

B
Recipitur propositio Sanctæ Ecclesiæ Turolensis.

C
Recipitur propositio Patronorum, & Eleemosynæ, seu pij Legati, Ioannis de Torres.

no-

nonicorum antiquiorum dictæ Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Turolensis, & vt talium Patronorum eleemosynæ, & pij legati instituti per Reuerendũ Ioannem Torres, pro quantitate ducẽtarum sexaginta, & vnius librarum, & quindecim solidorum Iaccensium, ratione viginti, & novem pensionũ cuiusdam cẽsus in processu exhibiti, vna cum pensionibus lite durante decursis, & in posterum decurrendis, vna cum expensis iuribus suis durantibus: *Et eis finitis*, mandare fieri contenta in propositione D oblata pro parte Egregiæ Domnæ Elisabetis Blanes Descallar, Commitissæ de Centelles, vti Tutricis, & Curatricis personæ, & bonorum Egregij Don Francisci Blanes, & Centelles, Comitis de Centelles eius filij Magnificorum Don Michaelis Çalbâ de Valgornera, Militis Ordinis Sancti Iacobi, de Consilio suæ Maiestatis, eiusque Regentis in Supremo Consilio Coronę Aragonum, & Domnæ Hieronymæ Pons, & Turell coniugũ, & dictæ Egregiæ Domnæ Elisabethis Blanes, & Descallar, nomine eius propio, & Regitorum, & Administratorum Hospitalis Generalis Sanctæ Crucis, Barchinonensis Ciuitatis, pro quantitate viginti, & quatuor mille, & tercentarum librarũ Iaccensium, ratione pensionum decursarum ab anno millesimo sexcentesimo trigessimo quarto exclusive, vsque ad annum millesimum sexcentesimum sexagesimum secundum inclusivê: cuiusdã census in processu exhibiti, vna cum pensionibus lite durante decursis, & in posterum decurrendis, vna cum expensis factis, & faciendis in hoc processu,

D *Recipitur propositio Egregiæ Commitissæ de Centelles, & Magnificorum Don Michaelis Çalba, & Domnæ Hieronymæ Pons, eius vxoris: Et Regitorum Hospitalis Generalis Sanctæ Crucis Barchinonæ.*

ſu,rationibus in dicta propoſitione contentis, iuribus ſuis durantibus: *Quibus finitis* mandare fieri contenta in propoſitione[E] oblata pro parte Iuſtitiæ, Iuratorum, Iudicum, & aliorum Officialium Curium Agricultorum, & Meneſtralium, ſingularum perſonarum, vicinorum, & habitatorum, & Concilij Civitatis Turoli, principalium Fauſtini Dominici de las Foyas, & Petri Mathei de Eſcurpi Procuratorũ, iure dominij: Cæteris propoſitionibus reiectis, & repulſis, reſervatis iuribus reſervari ſuplicantibus, cætera ſuplicata locum non habere.[F] EX EO, & aliâs recipiuntur propoſitiones Abbatiſſæ, Monialium, & Conventus Sanctæ Claræ, Decanique, Canonicorum, & Capituli Sanctæ Eccleſiæ Cathedralis Turolenſis, & Canonicorũ antiquorum, necnon Egregiæ Domnæ Eliſabethis Blanes Deſcallar, Commitiſſæ de Centellas, nominibus quibus in ſententia, Magnificique Dõ Michaelis Çalvà, & Regitorum Hoſpitalis Sanctę Crucis, ordine, & modo, quantitatibuſque ſupra pronunciatis; Quia liquido apparet in proceſſu teſtibus, & authenticis documentis de omnimoda eorum incluſione, legitimiſque contractibus, & inſtrumentis, liquet de impoſitione cenſuum in proceſſu exhibitorum, ſolutiſque iſtis penſionibus admititur propoſitio Civitatis Turoli, quia pleno conſtat eſſe dominam indubitatam, & poſſeſſorã bonorum appreheñſorum.[G] Nec obſtare cenſemus ſi dicatur cenſum impoſitum per Civitatem Turolenſem, in favorem Sereniſsimi Domini Don Philippi Primi Aragonum Regni, minime potuiſ-

ſe

E *Recipitur propoſitio Iuratorum, & Vniuerſitatis Turoli, reſpectu Dominij.*

F *Motiua ſententiæ.*

Reſpondet Senatus, & fit ſatis, Obiectis oppoſitis aduerſus Propoſitionem DD. Comitiſſæ; D. Michaelis Çalba, & Regitorum Hoſpitalis. Et in primis aſſeritur ad creationem huius Regij Cenſus, non fuiſſe neceſſarium, vt realis effectiuaque pecunia numerata interueniret; cum plenè conſtitiſſet de legitimo, ac vero debito Ciuitatis, tempore Impoſitionis.

ſe creari non interueniente pecunia numerata, & quod realiter, & cum effectu numeretur in ipſo actu impoſitionis, coram Notario, & teſtibus, atque ita non valuiſſe, reſiſtente motuproprio Pij Quinti, requirente pecunię numerationem, & ex eius lectura plene apparet, hanc impoſitionẽ fuiſſe effectam per prædictam Vniverſitatem, non quia illa recepit â Dignitate Regia quantitatem viginti, & ſeptem mille librarum. Sed ex eo, quia Catholica Maieſtas dignata fuit eam honorare, admitendo illam ad Foros noſtros, & vt gauderent omnibus libertatibus, priuilegijſque conceſſis cæteris Regnicolis. Iſta ergo in remunerationem tanti ſpetialiſque honoris, obtulit ei dictam quantitatem, & cum eam, re vera, non poſſet tradere, placuit Clementiæ Domini Regis, ob maiorem eius Civitatis comoditatẽ, vt in ſui perſonã imponeretur iſte cenſus, & vt obligaretur Civitas ſingulis annis, die, & menſe in cenſu relato, ad ſolutionem penſionum viginti & ſeptem mille ſolidorum. *Cui oppoſitioni* reſpondemus, quod etiam in partibus vbi Piana Conſtitutio viget poteſt cẽſum imponi ex quantitate antea debita, & nihil intereſſe an debitum procedat ex reali traditione pecuniæ an ex mercede antea recepta. Forma itaque illius conſtitutionis impletur, dum hoc modo venditor cenſus pretium recipit, & hoc ſufficit, quia conſtitutio emanabit ad vitandas fraudes, quæ fiebant, ceſantque per receptionem veri crediti in hocque caſſu, fictione brevis manus duo cõtractus celebrantur, nempe emptionis rei, & cen-

ſus qui conſtituitur ex pretio ipſius emptori reſti tuto. *Secundo dicimus*; Pianam Conſtitutionem minime fuiſſe receptam in Hiſpania;ab eaque fuiſſe ſuplicatum ad Sanctiſsimum per Invictiſsimos Hiſpaniarum Reges; Et etiam quod fuiſſet admiſſa in noſtro Regno eſt res extra omnis dubitationis aleam,valere ſimiles Conſtitutiones cenſuum. Ex eo, quia iuxta leges noſtras valet omne pactũ conventum in omni contractu,niſi aliquid contineat impoſibile contra naturam, vel ius divinum in Regnoque quotidianũ eſt,& fori dilucide referũt quatuor Brachia offerre in Comitijs, ſeu Curijs generalib⁹ imponere in remuneratione̅ honorum,& mercedum liberaliter per Reges præſtitarum ſuis Vaſſallis,diverſos cenſus in eorum favorem. Ex eo,quia expeditam pecuniam non habe̅t, ob magnam,& gravem penuriam noſtri Regni.

H Demonſtratur aperte Cenſum, de quo in ſententia,non expectare ad Conuentum Diui Ildephõſi Cæſarauguſtanũ.

H Neque nobis obeſt altera põderatio facta per Civitatem ſcilicet cenſum,de quo tractamus pertinere Conventui Sancti Ildephonſi, vt ex appellitu executorio captionario in proceſſu exhibito,& ex articulo octuageſimo primo aprehendentium reſultat. Aſerunt igitur aprehendentes dicto articulo octuageſimo primo,in gratiam Domini Regis Philippi Primi non fuiſſe conſtitutum alium cenſum,niſi vnum quantitatis viginti,& ſeptem mille librarum,virtuteque iſtius fuiſſe proviſſum appellitum executorium captionarium contra Civitatem Turolenſem,ad inſtantiam Prioris,& Conventus Sancti Ildephonſi: ergo non convenit aprehendentibus iſte, de quo agimus in proceſſu,

ſed

ſed Priori, & Fratribus Sancti Ildephõnſi. *Huic conſiderationi facillimo negotio fit ſatis*: Nam appellitus executorius fuit proviſſus ad inſtantiam dictorum Religioſorum, ratione decem mille librarum, & apprehendentes non exhigunt viginti, & ſeptem mille libras, ſed quantitatem decem, & ſeptem librarum, ſeu penſiones ex iſtis, ſingulis annis procedentes. Quæ duæ quantitates formãt cenſum conſtitutum in favorem Maieſtatis Domini Regis, quæ omnia ſatis liquent ex proceſſu ſententiatæ, & ex appellitu executorio ratione illius proviſſo.[1] Nec noſtra ſententia obnubilatur ponderatione illa, nempe teſtamentum Domini Regis Philippi primi non fore integre exhibitum ab apprehendentibus, ſed tantum fuiſſe productas tres clauſulas, & forales ſanctiones firmiter ſtabiliunt non ſufficere clauſulas exhibere ſi non integrum, & originaliter in ſuique prima figura producitur, nam in alia, ſeu alijs, vel derogari, vel limitari potuit; *Quia libenter fatemur* inſtrumenta in Regno debere regulariter â partibus integra exhiberi, ſufficientemque non fore exhibitam in præſentiarum trium clauſularum Teſtamenti Domini noſtri Philippi primi: Attamen non parui ponderis ſunt adminicula concurrentia in hoc proceſſu perſuadentia difficultatem productionis integri Teſtamenti, ſcilicet confeſsio facta a Regio Fiſco, affirmante anno milleſsimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, die vigeſsima octava, menſis Septembris in proceſſu ſententiatæ Sancti Ildephonſi, Teſtamentum Domini Regis Philippi pri

1 *Oſtenditur Clauſulas exhibitas teſtamenti Sereniſsimi Regis noſtri Philippi Primi, eſſe legitimas, ac fidem facere de Iure, & de Foro; Et integrum Teſtamentum exhibere fas non eſſe: Et quòd, in præſentiarum, abſque præfatis clauſulis conſtat de incluſione.*

mi

mi integrum vlli nõn traddi, *iustis causis, superioribusque rationibus*, nisi clausulam, aut clausulas quibus, quilibet indiget, & hæc est ratio forsitam propter quam, tam Iuris Consultissimi Advocati Fiscales non petierunt nisi clausulas in processu productas, & hæc cum varijs attestationib' Regiorum Cubiculorum firmiter asserentium, fore authẽticas, minimeque existere in reliqua parte testamenti clausulas aliquas prædictis contrarias, quod testimonium vt res omnino consistens in facto, & coram se gesta, efficax est, aut saltem non leve præstat adminiculum. Adquid ergo, tam diligentissimæ præventiones, nisi vt clare percipiatur difficultas productionis integri Testamenti, quia nõ potuit abscondi, tam magnis totius Iurisprudentiæ Choripheis, vt fuerunt Fiscales, quorũ ordini fuit commissa vẽditio istorum censuum, pœnitus intelligere principium illud forale partes debere exhibere integrum Testamentum, minimeque sufficere clausulas productas, si facilis esset editio, & exhibitio integri Testamenti; Præter quam quod, nec correctio statim in hominum dispositionibus est præsumenda, imo minus potest cogitari Principem voluisse incontinenti se se corrigere. *Accedat etiam* tot tantoque tempore de veritate dictarum clausularum dubitatum non fuisse, imo pro veris habitæ fuerunt, & tamquam si esset editum, & productum integrum Testamentum, & iuxta eas repetita sorte in Regia Audientia, & in Curia Domini Iustitiæ Aragonum fuit definitũ, ac pronuntiatum, vt liquido apparet ex litteris

nar-

narrativis Regiæ Audientiæ in processu exhibitis prouisionis appellitus executorij captionarij, contra vicinos, & habitatores Civitatis Turoli, & in processu Prioris Sancti Ildephonsi, super condemnatione censualis; & præter dicta documenta adsunt duo testes deponentes dictas clausulas fidẽ facere in iudicio, sicque ambos vidisse pronuntiare tamquam si esset in sui prima figura, & integre exhibitum testamentum, & quidquid sit de his rationibus in quibus nõ inmoramur, [k] noster namque intellectus solido illo Clipeo, & nitidissimo fundamento fulcitur, nempe in assertione Regis dilucide afirmantis Censum, aut Census, de quibus in processu tractatur proprium, aut proprios esse ipsique Regiæ Maiestati pertinere, suaque attestatione standum est; Princeps namque loquitur per os Dei, â quo delegatus est Iudex in terris, & esse tamquam Deum inter Homines, & quemadmodum Deum Cœlo pulcherrimum sui ipsius simulachrum constituit Solem, & Lunam, talis est in Republica imago, & lumen Principis, qui Deũ reuerens, & imitans, veritatem semper profitetur: Reges enim, & Principes Veraces sunt, & quasi Dei in terris; & Dei imaginem habent, & sicut nõ decent stultum verba composita, nec Principem labium mentiens: Et ideo non est credendum, quod falsum aliquod dicat etiam minimum, sed veritatem ante omnia loquatur, & colat alîas esset Principem de mendacio arguere, quod nephas est; ideoque prudenter statutum extat quodlibet verbum assertivum Regis esse credendum,

K *Pluribus medijs, & rationibus conuincitur, præfatas Regij Testamenti clausulas legitimè fuisse exhibitas, plenèque intentionem actorum probasse.*

nam quod ille afirmat, & nos credere debemus; Secundo, quia si statur literis Iudicis attestantis aliquid de his quæ pertinent ad officium suum: Ergo multo magis standum est dicto Principis, cuius authoritas superheminet omnes. Tertio, quia Princeps præsumitur iustitiæ plenus, & omnia de liberaté cum conscientia, & prout convenit facere, & ideo non est excogitandum quod falsum aliquid dicat, & frequẽter in Regno videmus attestationi Regis credi, taliter, quod non exhiguntur â nemine iura Generalitatum affirmante Rege bona sua esse, neque admititur contra tale verbum probatio in contrarium, idemque procedit si moneta ocupatur, tam in hoc Regno, quam in Gallia, si Rex affirmat suam esse, Principique attestanti, Beneficium esse de sui Patronatus iure plenissimê creditur:[L] Neque nobis pungit argumentum propositum a Civitate Turoli scilicet, quod & si regulariter Principis assertioni standum sit, attamen hæc regula non procedit, quando agitur de causa propria ipsius Principis, vel de eius commodo, aut proprio interesse, quia esset testis in re propria, & cum in præsenti negotio agatur de vtilitate ipsiusmet Regis, eius attestationi minime credendũ esse afirmant, quia licet in hoc puncto gravissima adsint pro vtraque parte fundamẽta, & possimus dicere; quis iustius inducat arma scire nephas magno se Iudice quisque tuetur, sed re recta perpensa hoc omne sic conciliatur, nempe Principis assertioni standum esse in antiquis etiam quod agatur de eius comodo, aut interesse, & de tertij præiudi-

L *Oppositis exaduerso satisfit.*

tio,& si præter antiquitatem cum atestatione facta ex prosito, atque animo deliberato, & expressione causæ concurrunt adminicula, vt in hac re, omnimodam fidem adhibendam fore certissimum est; & quamvis hæc nitidissima ratio sufficiens sit, taliter, vt non indigeamus alijs considerationibus non deficiunt in processu alia varia adminicula dilucide nostrum sensum comprobantia. Primum[M] igitur, quod nobis offertur est fore impositos hos Census in favorem Serenissimi Domini Regis Philippi Primi; Seriosaque attestatio sui Clementissimi Filij Philippi Secundi, suos esse, precipuê non comparendo prout nullus comparuit in hoc processu apprehensionis petendo illos, validum est testimonium veritatis, soli Regi venditori convenire; Affirmatioque Executorum istos Census pertinere Maiestati Domini Regis Philipi Secundi Aragoniæ, quia illis fuit data integra satisfactio per dictum Dominum Regem alijs effectibus, quia secundum clausulas exhibitas omnia bona libera debebat traddere Philippus Secũdus, hæres vniversalis Philippi Primi, Patris sui eius Executoribus ad hoc vt adimplerent, quod illis commisserat, & vt satisfacerent conscientiæ Principis: Intimatio, & requisitio facta Civitati Turoli per Executores vltimi elogij Domini Guillelmi â Sancto Clemente, vt solveret eis sicuti antea solvebant dicto Domino Guillelmo, & Civitas, ratione istius requisitionis pluries solvere Executoribus requirentibus, & habentibus ius ab eis non est debilis ponderatio: Recognita ergo fuit

M *Variæ, ab hinc, proponuntur adminicula rem totam, legitimumque debitum comprobantia.*

in-

inclusio hæc, tam repetitis reiteratisque solutionibus, & quod necessaria non erat exhibitio integri testamenti: Tandẽque assertio Invictissimi Regis ab observantia subsequta in processu liquide probata robur, & firmitatẽ habet, & vsque dum hæc prætensio ab vllo fuit mota novitatumque introductio odiosa est, non enim debemus transgredi terminos quos possuere antesignani nostri. Neque ad rem facit oppositio facta â Civitate Turolensi hic non existere cum testimonio Regis antiquitatem temporis, quia non sunt transacti, nisi quinquaginta, & sex anni, & in materia instrumentorum tempus antiquum dicitur, quod centum annos percutit vnde antiquum tempus nullatenus dicitur, quod id tempus non attingit; Respondemus acriter discutere DD. quod dicatur tempus antiquum variæque opiniones existunt; quidam centum annos petunt, alij vero quinquaginta sufficere arbitrantur. Alij sexaginta expostulant, alij octuaginta annos petunt, alij vel quadraginta vel decem sufficere autumant, verum veriorem, ac receptiorem opinionem esse iudicamus, hoc omne pœnitus arbitrio iudicis deferri, qui secundum circunstantias quæ occurrant, iudicet: Quis vero in dubium vertat hisce temporibus, in quibus tam brevior vita est, instrumento quinquaginta, & sex annorum non esse antiqua. Procoronide, vt ad alia transeamus, Vniversitas Turoli, est indubitata debitrix istorum Censuum, & minime diffitetur re vera fuisse constitutos, & sic clarê constat nihil interesse Civitatis opponentis hanc exceptionem,

cum

cum nõn pofsit evadere folutionem vni, aut alteri faciendam: fufficere ergo dicimus, quod dicta Civitas relebetur â periculo folvendi bis per cautionem, quæ præftatur in Curia ab apprehendentibus, authoritate, & decreto tanti Senatus. Opponitur â Civitate Turoli, [N] alia ratione Apprehendentes non poffe obtinere in proceffu, quia inclufio illarum, eft cum teftamento in fcriptis, celebrato in Civitate Pragę per D.Guillelmũ â San cto Clemente in poffe Ioannis Maynardi, publici Tabellionis teftificãtis actum traditionis, & quod ifte recuperavit illud â poffe Notarij, ficque vltimum elogium habetur pro revocato, ex tali abductione: Cui confiderationi, dicimus, non abduxiffe Guillelmum, vt mutaret voluntatem, fed vt remitteret Reverendo Bartholomęo Gramages procuratori fuo legitimo, nuncioque ab eo deftinato, & vt talis traderet Galcerando Severo Pedralvez Teftamentum, & Codicillum claufum, capfa, feu capfula ftannea, mediante quadam Epiftola eiufdem, remiffa ei, vt fequuta morte, notum faceret, prout hæc plenifsimê, & Iudicis interlocutione fuere adimpleta: meritoque videtur teftibus comprovari, & obfervantia fubfequta teftatoris iuffa adimplendo in eo Principatu. Accedit requifitam Civitatem Turoli vt folveret hunc cenfum, mediante hoc teftamento translatum in D. Ioannem Burges exfolviffe magnas penfionum quãtitates, per plures annos procuratoribus, ad recipiẽdum prædictas defignatis; Teftamentum ergo nũquam cenfetur revocatum ex illius recuperatione

N
Varia oppofita à Turolenfibus adverfus Teftamentum D. Guillelmi de San Clemente, (quo fe includunt apprehendentes) plenè fuo ordine refutantur.

inſciſione linorum, fractioneque ſigillorum, ſi appareat hæc facta fuiſſe â teſtatore animo illud remitendi in aliam partem, etiamque ſi abduxerit animo aliud condendi, ſi ſecundum non fuerit, primum remanet validum, quæ omnia mirifice deteguntur ex actibus ſubſequentibus: Nimirum ex remiſsîone illius in Ciuitatem Barchinonæ, cum dilucida proteſtatione, vt diximus, quod ſi aliud non fecerit, & mori Pragę contingerit, quod Tabellio illud aperiat: Nec in hoc poteſt intrare præſumptio aliqua ad favorem venientium abinteſtato, quod recuperationem Teſtamenti teſtator fecerit eorũ fauore, & vt ipſi ſuccederẽt; cũ alia cauſa expreſſa ſit diverſo, & contraria eis: Nec noſtra ſententia debelatur argumento illo ſcilicêt, quod cum iure poſitivo cuilibet ſit permiſſum teſtari, ille actus eſt perſonaliſsimus, quia tantum dependet ex mera abſolutaque poteſtate, & libero arbitrio illud condentis, meritoque non poteſt alteri commiti, ſatiſque cõſtanter leges decreverũt Teſtamentorum iura ipſa, per ſe firma eſſe opportere, non ex alieno arbitrio pendere, & quod Teſtamentum de quo agimus, videtur conditum per Procuratorem, quia compertum eſt de iure Ceſſareo Teſtamentum eſſe voluntatis noſtræ iuſtam ſententiam, illudque conferri non poſſe ad ſecretum alienę voluntatis, intertijque voluntatem inſtitutionis ſubſtantiam commiti, non poſſe: At vero hoc omne in Regno minus dificultatis habet, quia voluntas in tertium Comiti poteſt, minimeque videtur inteſtatus deceſiſſe, qui in volũtatem

al-

alterius ſuam diſpoſitionem contulit, & poteſt quilibet conſentire, vt alter de bonis ſuis diſponat: Sed deciſsio iſtius quæſtionis ſupervacua eſt in hac re, quia Teſtamentum de quo agimus non fuit celebratum in Regno, neque commiſſa fuit facultas teſtandi per Guillelmum â Sancto Clemente, Bartholomeo Gramages ſuo Procuratori, ſed tãtummodo nudum factum traditionis fuit illi commiſſum, & validitati huius actus iura non repugnant, immo permitunt, & favent; ſed contra hoc ſecurum fundamentum replicatur â Civitate Turoli præſenti dilemate: Aut volumus, valere vltimum elogium conceſſum Pragæ â dicto Guillelmo: Aut traditum Barchinonæ per Bartholomeum Gramages eius Procuratorem: Teſtamẽtum conditum Pragæ nullius roboris eſt, quia nõ eſt æditum â Tabellione rogato, neque â ſucceſſore notularum: Si traditum Barchinonæ, eſt nullum, quia non ſe ſubſcripſit Procurator, neque conſtat habere poteſtatem, & dato quod habuiſſet mandatum neceſſarium erat ſpeciale, & quod exhiberetur originaliter Poteſtas enunciata, & quod conſtaret Tabellioni tempore traditionis Teſtamenti factæ â Bartholomeo Gramages ſuum vivere principalem, quæ conſiderationes nobis non nocent; Quia non defendimus Teſtamentum cõceſſum Pragæ in poſſe Ioannis Maynardi â Domino Guillelmo, ſed vltimum elogium traditũ Barchinonæ Galcerando Severo Pedralvez, publico Notario per Bartholomeum Gramages, Procuratorem legitimum, Nuntiumque dicti Guillelmi,

ta-

taleque Teſtamentum ſolemne eſſe in Civitate Barchinonæ, & in omni Principatu Cathaloniæ, fidemque facere in iudicio pro valido ex tempore traditionis, obſervatum fore varijſque ſententijs in bonis comprehenſis in hac vltima voluntate, pro legitimo ſuppoſitum, teſtibus omni exceptione maioribus, Civitatis Turoli, & Fiſci Apprehendentiũque, plenê, & cõcludẽter deponentibus, minimeque fore ſubſcriptionem Procuratoris neceſſariam tempore traditionis, ſi principalis abſens exiſtat in præſentiarum, nitidiſimê probatũ apparet in proceſſu. Alteri inſtantię ſatisfacimus, dicendo, legitimê conſtare, quod ſicuti in Aragoniæ Regno ſtatur aſſertioni Notarij afirmãtis ſibi conſtare ex inſtrumento Mandati ei exhibiti, talem Procuratorem Tertij eſſe, in eoque mandato, ſufficientem poteſtatem ad tale peragendum habere, ſic in Cathalonia Tabelliones kalendantes Mandatum cum die, menſe, & anno, eſt, ac ſi aſſererent, ſibimet ipſis conſtare, habere mandatum ſufficiens, & neutiquam eſſe neceſſariam exhibitionem poteſtatis, quod liquidiſsime conſtat in proceſſu probatum diverſis digniſsimorũ teſtium teſtimonijs: Etiam apparet, ſententia lata in Regia Audientia Barchinonæ, & teſtibus fidedignis, quod etiam ſi â parte petatur mãdatum ſi concurrit antiquitas temporis longaque pactis poſſeſsio, & obſervantia ſubſequta, vt in præſenti materia, minimê teneri ad exhibendum. Alteri replicæ dicimus apprehendentes non debere probare vitam Domini Guillelmi tempore traditionis

nis vltimi elogij sui Procuratoris ; mors enim non præsumitur etiam si quis diu abfuerit, & nihil de eo fuisset auditum ; sed est probanda ab illo,qui eam opponit: Præter quam quod â tempore tradditionis,vsque ad humationem sui cadaveris,elapsi fuerunt plusquam tres anni, & sic infertur,vitam agere Guillelmum,cum Procurator, & Nuntius ab eo destinatus tradditit Codicillum,& Testamentum: Accedit etiam apertionem publicationemque fuisse effectam Decreto Iudicis, & assistentia duorum Regiorum Consiliariorum Regiæ Audientiæ Barchinonæ, quæ omnia satis confirmant,eius mortem recenter scitam Barchinonę,illumque vivere tempore tradditionis. Alteri considerationi satisfacimus affirmando Mādatum speciale posse constitui negotijs futuris, & per Epistolam,& sic Barchinonæ Notario kalendante diem,mensem, & annum,est idem,ac atestare Procuratorem habere sufficientem potestatē, vt supra diximus ; credendum est in præsentiarum Bartholomeum Gramages Procuratorem Domini Guillelmi habere mandatum suficiens ad tradditionem Testamenti. Neque ofendit sententiam nostram argumentum illud pōderatum â Civitate Turoli,scilicet [O] Executores Testamēti dicti Guillelmi non potuisse permutare propter diversa. Primum quia bona erant onere fidei cōmissi gravata,& cum diversis substitutionibus. Secundum quia habebant expressam prohibitionē alienandi. Respōdemus nāque, satis liquere ex dicto Testamento Testatorē Cōmisisse istud onus

O *Argumentis aduersus permutationem ab Executoribus celebratam, fit satis.*

administrandi suam hæreditatem, & bona duō-bus Consiliarijs Barchinonæ, ad illa bene meliorandum, & augendum, in processuq; plene probatum existit, permutationem fuisse effectam cum re vtiliori, & magis comoda, & dato quod non cōstaret in processu de beneficio, & melioratione, & quod adesset fideicommissum, & expressa prohibitio alienationis, adhuc nostræ intelligentiæ obstare non poterit, quia valet alienatio, & permutatio bonorum fideicommissi dum vocatus, & is cuius interest eam revocare non petat, validitasq; alienationis fideicommissi ex voluntate vocatorū pendent, & quæ maior nullitati, quam filij preteriti, & tamen Testametum valet, si filius nullitatem non petat, ratioque est in promptu quia nullitas introducta in favorem tertiæ personę, solum ab ea, & non ab alia allegari poterit, decretumq; annullans, ac irritans, ita demum operatur, si is in cuius favorem apponitur, voluerit: Vnde opponere de hoc, est opponere de iure tertij, non excludente actoris intentionem, quod nec de iure, nec de Foro admittitur: Et cum in pręsentiarum, nullus ex vocatis revocare petierit prædictā permutationem, immo multi ex contemplatis eam pleno ore aprobaverint, & ratam habuerint, consequenterque validam esse talem alienationem Permutationemque, ingenué affirmamus, & aliâs, Attent. contt. &c.

Sig† num mei Michaelis Bonifatij Serrano, Civis Civitatis Cæsaraugustæ, & in ea domiciliati, autho-

tho-

thoritateq; Regia per totum Regnum Aragonum, publici Notarij, ac Secretarij Consilij Curiæ Illustrissimi Domini Iustitiæ Aragonum, qui huiusmodi vota, & motiva à libro dicti Consilij, de anno in principio calendato, vbi continuata existunt, extraxi, comprobavi, & signavi. Constat de enmendatis, vbi legitur exc, sua.